



EXPLICATIO HVIVSTO POGRAPIÆ.



Onstituitur hæc insula in celeberrimo freto inclyti Regni Daniæ, quod Scaniam dividit à Zelandia, & videt Metropolin Hassniam versus Lybanorum in distantia trium milliarum, Helsingorâ, ubi Telonium est Regiû versus Circiû in remotione duorû milliarû, quæ duo in Zeelandia sunt; Helsingburgo, quod exacte versus Septentrionē est, etiam duobus distat, Landscronia verius Eurum saltem unico, quæ duo in Scania sita sunt. Estq; Insula per se admodum alta, ac si quis in montem aliquem ascendere, superius tamen tota plana, habetq; in circuitu 8160. passus maiores: circa eius medietullum, ubi Arcem Vraniburgum exædificavi, Poli elevatio; sive, quod idem est, latitudo ab Æquatore G. 55. M. 54½. summa accuratione à nobis sepius est deprehensa. Longitudinem eius assumpimus partium 36. M. 45. habito nimirû respectu differentie Meridianorum, quibus usi sunt Ptolemæus & Copernicus ac huius qua fieri potuit, diligentia; queinadmodû in hac quadrata quoq; figuracione Insulæ delin. rationem, cõprehendente, hæc in unius Gradus Minutijs secundis subdivisa sunt; Cetera quæ in ipsa Insula cernuntur, sic intelligenda: A. Arx Vraniburgum, B. Stellæburgû, C. Prædium Oeconomizæ destinatum, D. Officina artificum, Astronomica Instrumenta, & alia fabricantium, E. Mo. la alata. F. Pagus 40. circiter rusticorum habitationes continens. G. Moletrina papyro conficiendæ inserviens, simulq; frumentum terens, & insuper pelles varias præparans: quæ tria opera unica eademq; maxima rora tam simul quâ distinctim perficit. H. Templum. I. Forum iudiciale Rusticorum. K. L. M. Piscinæ maiores quarû L. Moletrinæ appropriata profundæ altitudinis est, & aggere incredibilis molis fundata, ut aquarû in copia, moletrinæ inservientium sit receptaculum, Hæ reliquæq; piscinæ 60. circiter numero magnam copiã piscium diversi generis continentes, in usum distæ moletrinæ facili negotio, quando opus fuerit pro maiori parte exonerantur. O. Pratum palustre, alnis aliquod assurgens. T. Paucæ arbutis nonnullis in locis confita. N. Sylva Corylorum littore Boreo opacata. P. Q. R. S. vestigia 4. Arcium, quæ ibi olim extiterunt. Hanc Insulam cum laudatissime memoriæ Rex Fridericus II. mihi ad vitã concessisset, idque literis in membrana datis confirmasset, quo isthic Astronomica competente otio peragerem (veluti & prius quoq; inuimus) ingentes labores & sumptus in eam expendi, ut optimi illius Regis voluntati & Patriæ honori inservirem, non solum ædificijs splendidis & solidis in eâ, prout indicatum est extruatis; sed & aquis quam plurimis (ubi nihil tale antea erat) hinc inde coacervatis, quo moletrinam Papyro parandæ idoneam unã isthic ad littus maris constituerem, quæ papyrum Typographiæ meæ ibidem excoltæ suppeditaret, ne è Germania non sine difficultate conquirenda foret.

INSVMPSI autem in hæc omnia ultra tonnam auri Quecunq; enim sive è beneficijs Regijs, sive proprijs redditibus annuis coquirere licuit, in eos usus expendebam: Vt de molestius & laboribus, ingentibus, quos isthic per annos 21. sustinui, nihil addã. Ex his & alijs quivis cordatus facile estimare poterit, me non nisi gravissimis de causis, præsertim in hanc quinquagenariã ætate, & magna familia copia Insulam tanti constantē, unaq; Patriam dulcissimam inq; ea sanguine iunctos atq; Amicos quamplurimos deseruisse. Quæ vero, quan: aq; me ad hoc impulerint, vosens hic subitico. Interim Serenissimum Regem meum Christianum IV, Dn. Clem. qui laudatissimæ memoriæ Patri Friderico Regi horum isthic fundatori & promotori nuper successit, lubens excusatû habeo. Neque enim ambigo, si tempestive & sufficienter, quæ hoc negotium Regno fortassis non in honorificum concernût, ipsi proposita fuissent, quin pro ea qua est Heroica Natura & ingenio peripicaci, generosoq; animo, & ad ingenuas Artes porpenlo excellenti præditus, hæc Regibus dignissima studia Clementer & liberaliter in suo Regno conservatûris ac perpetuatûris fuisset, Sed fortè sic erat in satis, quò Astronomiæ restauratio latius promulgaretur, atq; universalior redderetur. Quin & hoc quivis facile secum perpendet, quam serio & enixè Astronomiæ restauratio nobis cordi sit, cum tot labores atq; impensas, tot conturbationes & adversitates eius causa fortiter ferre voluerim; adeo ut ne Patriam quidem ac charissimã queq; derelinquere dubitarim.

TANTVS AMOR NOBIS ASTRORVM EXPANGERE NORMAS.